



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Primum, licitus erit Atheismus. Secundum, licitus erit Academicismus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

les; & omnes probabiliter tantum probabiles, adeoque non certo probabiles, sed dubie probabilitatis, vocant parum probabiles, & dicunt ad regendam conscientiam insufficientes, & merito, ut alibi dicam.

N. Patet 11. quid dicendum sit ad quæsitum, quod movet P. Thyrsus *disput.* 1. §. 4. nempe, an ad probabilitatem opinionis requiratur, ut non sit re ipsa contra Scripturam, aut decreta Ecclesiæ; & n. 24. resolvit, non esse verè probabilem opinionem, quæ re ipsa est contra Scripturam, Concilia, aut decreta Ecclesiæ; licet opinans id inculpabiliter ignoret, & habeat pro se gravia rationis fundamenta. Ratio illius est; quia ut primum constituerit eam opinionem esse re ipsa contrariam alicui ex dictis regulis, tenentur omnes rejicere illam, ut improbabilem; non est autem similis ratio de fundamento rationis, quod per ignorantiam apparet magnum viro docto, & probo, & ex eo citra culpam judicavit rem esse illicitam, quia quamvis alius vir doctus inveniat rationem validiorem pro parte opposita, ob quam sibi persuadeat sententiam illam esse falsam, & non esse practicè probabilem, attamen non potest verè dicere, illam opinionem esse secundum se improbabilem absolute, quia non potest prudenter judicare rationem, quæ convincitur, convicturum omnes. Sed contra 1. quia hoc unice probat, quod regulæ Ecclesiæ mereantur omne obsequium intellectus, non ita rationes, quas homo quantumcumque doctus trahere potest. Non tamen probat, non posse dari, immò de facto dantur plures opiniones prudenter probabiles, licet sint contra Scripturam, aliasque infallibiles Ecclesiæ regulas, dummodo Scriptura, & dictæ regulæ post diligens veritatis examen sint invincibiliter ignoratæ, & dictæ opiniones habeant pro se grave rationis, vel autoritatis fundamentum. Pater: quia de facto plurimæ sunt opiniones Theologicæ utrimque probabiles, & tamen cum sint circa Scripturam, & inter se cōtradictoriæ, una ex illis opponitur Scripturæ, quia tamen hæc invincibiliter ignoratur, & ex gravi fundamento negatur esse in Scripturâ revelatum, & eaque opinio nititur gravi rationis, vel autoritatis fundamento, est verè probabilis; alioquin quoties DD. in quæstionibus Theologicis discrepant, ex. gr. Scholæ, Thomistica, & Scotistica, cum alterutra opinetur contra Scripturam, alterutra diceret improbabile, & alterutrius opinio esset improbabilis, quod nemo cordatus dicet; quod si hoc dicat, quæram, quænam Schola improbabile dicat, cum non sit maior ratio pro una, quam pro aliâ, & controversia

inter eas sit circa materiam obscurè, & incertò revelatam? Ergo potest opinio esse re ipsa contra regulas infallibiles Ecclesiæ, & esse certò probabilis, dummodo illæ regulæ invincibiliter ignorentur, & sint disputantibus incertæ, & opinio habeat fundamentum grave. Contra 2. quia si P. Thyrsi doctrina teneret, sequeretur, quod Pontifex damnans opinionem, non adimeret opinioni probabilitatem; cum enim ea sit contra regulas fidei, & morum, est improbabilis: ergo non adimit probabilitatem, non enim tolli potest, quod non fuit.

Patet 12. quàm manifestè decipiatur P. N. Elizal. qui ut nostram de licito opinionis probabilis usum sententiam horribilem reddat, dixit *lib.* 1. *quæst.* 4. & 5. tot, & tanta contra Probabilitatem, ut iatis sit Probabilitatum volumina aperuisse, ut ea refutentur: asserit enim nos docere satis esse unum Doctorem, ut opinionem probabilem reddat, cum tamen hoc, nisi cum multiplici limitatione, à Probabilistis asseratur: asserit, satis per nos esse, ut opinio sit probabiliter probabilis, cum tamen oppositum à ferè omnibus Probabilistis ut certum tradatur: asserit, dari posse per nos opinionem probabilem, etsi contra eam stet aliquid certum, cum tamen signatè dicamus esse positivè improbabilem. Consideret lector axioma commune, Parvus error in principio, maximus in fine, & legat P. Teril. *P. Teril. de Reg. morum quæst.* 5.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta.

§. I.

Primum, licitus erit Atheismus; Secundum, licitus erit Academicismus.

SUMMARIUM.

Omnis heresis, & error Gentilium erit opinio practicè probabilis, n. 55.

A. M. Baro solvendum, qui minus exigit ad probabile, quam nos, n. 56. 57.

Solvendum à Celladei, n. 58.

Non omne verosimile est probabile, n. 59.

Quæ verosimilitudo necessaria ad probabile, ibid.

S. Thom. ait, quod probabile sit simile vero, non econtra, ibid.

DD. tuentes, quod nil contra probabile adest debeat convincens, intelligunt nil certum, ibid.

Nulla integra secta potest esse probabilis, cur? n. 60.

Nullus error Heretico perpendenti nostram fidem est illi probabilis, n. 61. 62.

Hereticorum probabilitas laborat ignorantia vinci-

vincibili, Catholicorum invincibili, n. 63.
Aristot. ait, quod idiotæ tenacius adhaerent fal-
sis rumoribus, quam sapientes certissimis veri-
tatibus, ibid.

Error Haereticæ, vel est ignorantia vincibilis, vel
invincibilis, nunquam opinio probabilis, n.
64. ad 69.

Datur invincibilis ignorantia circa credenda.
DD. n. 66. 67.

Quantum nos dissemus ab Academicis; & cur
peccet sequens probabile Academicorum, non
nostrum: n. 70. ad 73.

N. 55. **P**rimum est, si opinio probabilis est, quæ
 nititur fundamento gravi, & nihil habet
 contra se convincens, sequitur plerique
 Atheorum, Gentilium, & Haereticorum im-
 probabiles opiniones esse practicè probabi-
 les, saltem respectu eorum, quia relativè ad
 illos nil habent convincens, & habent funda-
 mentum grave; nam non est demonstrabile,
 ex. gr. animam esse immortalem, Deum esse
 unum, hominem esse liberum, quod idem
 evenit in alijs fidei articulis, qui demonstra-
 biles non sunt: ergo cum illæ Atheorum, &
 Haereticorum opiniones nil habeant contra
 se convincens, sunt verè probabiles. Ita Ba-
 ron. 2. p. Manuduct. ad Theologiam Mor.
 contra Amadeum d. 1. sect. 1. §. 4. pag. mibi 33.
 impugnans P. Suar. requirentem ad probabi-
 litatem, ut nil habeat contra se convincens,
 & ut firmo fundamento nitatur. Idem argu-
 mentum trahit P. Eliz. lib. 3. qu. 8. §. 2. pag. mibi
 159. editionis Friburgensis anni 1684. (hæc
 enim semper utor) ubi fuso calamo ostendit
 posse Calvinistam, nostram probabilis opinio-
 nis doctrinam armatum, suos errores tamquam
 probabiles sequi.

N. 56. **R**espondeo 1. argumentum hoc imbel-
 le omnino esse, & si aliquam vim habet, maio-
 rem habet contra Baron. & P. Eliz. quam
 contra nos; immò, ut alibi ostendemus, à
 quocumque, sive Probabilioristâ, sive Tu-
 toristâ, solvendum est. Dixi, maiorem vim
 habere contra Baron. quam contra nos, quia
 cum Baron. 1. p. d. 1. sect. 2. l. c. definit opi-
 nionem probabilem esse, quæ aliquam habet
 verosimilitudinem, cui assensum damus for-
 midolosum; & cum juxta eundem probabi-
 le sit, cui verum, aut falsum subesse potest,
 proprius tamen à vero, quam à falso abesse
 videtur, sequitur 1. ut rectè P. Teril. qu. 2.
 P. Teril. assertione 2. & P. Moya, omnem opinionem
 improbabilem, & omne judicium temerariū,
 quia habent aliquam verosimilitudinem, esse
 probabile, & prudens: ergo argumentum
 maiorem habet, si habet, vim contra Baron.
 quam contra nos, qui non sumus contenti
 Tom. I.

quolibet verosimilitudine. Sequitur 2. om-
 nes hereses formales esse opiniones probabi-
 les; quia omnis error formalis, cui Haereti-
 cus assentitur, plus distat à vero, quam à fal-
 so, & varijs argumentis ejus intellectus in
 tale falsum dogma inclinatur: ergo argu-
 mentum, siquam vim habet, maiorem habet
 contra Baron. suppositâ ejus, quam opinio-
 nis probabilis tradit, definitione, quam
 contra nos. Hinc acutè intulit P. Teril. &
 P. Moya, facilisque est omnibus illatio, non N.
 esse mirum, quòd Baron. concluderet omnia
 scelera esse licita admisso opinionis probabi-
 lis usu; hæc enim evidenter inferuntur, ad-
 missâ definitione opinionis probabilis à Ba-
 rono traditâ; nullum autem admittit nostrâ:
 quod certè, ut suo loco dicemus, validum
 est argumentum contra negantes licitum
 usum opinionis practicè minùs, certò ta-
 men, probabilis; ut enim cum negent, ad
 novam opinionis probabilis definitionem
 omnino falsam, & ab omnibus rejiciendam,
 confugiunt: si autem nostram tuerentur,
 non negarent licitum opinionis minùs pro-
 babilis usum. Immo, ne longius differam,
 idem Baron. 2. p. Manuduct. d. 1. sect. 1. §. 3. M. Bar.
 consensus Franciscanorum pag. mibi 29. ubi
 valde celebrat Scotistam innominatum, &
 ejus definitionem opinionis practicè probabi-
 lis, ait enim, judicium prudens legi, fini ulti-
 mo, & recto sapientum in illum appetitum
 conforme, quod formidinem sibi adjunctam
 nihil moretur, nec impediatur certam destina-
 tionem, & directionem boni operis: sub-
 dit eam formidinem simplicem esse, non
 firmam dubitationem, & ad intellectum
 speculativum pertinere. Hæc Baron. qui
 minùs requirit ad probabile, quam nos, non
 enim dicit, quòd nil certum debeat habere
 contra se; & adhuc asserit, illud probabile
 esse satis ad directionem boni operis, quan-
 to magis nostrum. Addo, ex hac definitione
 sequi, licitum esse omne scelus, si hæc licen-
 tia sequitur ex nostrâ.

Similiter maiorem vim habet contra P. N.
 Eliz. non tantum ob novam probabilis de-
 finitionem, quam paulò post eliminabimus, P. Eliz.
 sed etiam quia idem Celladeci lib. 1. qu. 13.
 ad finem pag. mibi 51. exponens, quomodo
 Doctores opinionem contrariam propriæ
 vocent tutam, ait, eos dicere voluisse, eam
 opinionem suæ contrariam non ita à vero
 exorbitare, quæ ex aliquâ ignorantia satis
 ordinariâ non possit putari, vel vera, vel
 probabilior, & sic eis esse ruta, si ignoran-
 tia fuerit involuntaria. Hæc P. Eliz. per quæ
 verba satis obscura aliud dicere non vult,
 quam quòd doctrina, quæ ab aliquo ex ali-

quā ignorantia fatis ordinaria putatur vera, vel probabilior, est ei tuta: sed si hoc est verum, omnis doctrina Atheorum, & Hæreticorum erit eis tuta, quia ab iisdem ex ignorantia fatis ordinaria putatur vera, vel probabilior: ergo omnis eorum doctrina erit eis tuta, adeoque omne scelus erit ijs licitum: ergo argumentum maius habet robur contra P. Elizal. quam contra nos. Quod si dixerit eam ignorantiam non esse illis involuntariam, sed voluntariam, eo ipso videt id, quod nos etiam videmus.

N. Respondeo 2. totum hoc argumentum
59. procedere ex mala intelligentia: 1. quia confundunt dicti DD. probabile cum verosimili, arbitantes juxta nos esse mutuo idem, probabile, ac verosimile, quod est certo falsum, non enim ad probabilitatem fatis est qualibet verosimilitudo, sed talis necessaria est, ut moveat virum prudentem ad prudentem assensum; hinc S. Thom. in 1. Ethic. citatus supra *sect. 1. §. 2. dixit, Probabile est, quod est simile vero*; non autem dixit, omne simile vero esse probabile: ergo licet omne probabile sit verosimile, non tamen e contra, omne verosimile est probabile, nisi verosimilitudo sit ex fundamento absolute, & relative gravi: 2. iisdem Baron. & Cellad. putant, quando DD. dicunt quod ad opinionis probabilitatem necesse sit, quod nihil habeat contra se convincens, putant eos DD. velle, quod omnis opinio, quæ non habet contra se evidentiam, & demonstrationem, sit probabilis, in quo falluntur; aliud enim est, quod convincens oppositum tollat probabilitatem, aliud, quod solum convincens eam tollat; primum est verum, secundum, falsum; ut enim tollatur probabilitas, fatis est, ut contra stet, vel principium certum, vel convincens, immo per me fatis est, ut careat fundamento gravi, ut dixi §. 3. Adde per tō convincens non venire per DD. nisi certum, sive ea certitudo sit ab evidentiā, sive a fide, ejusque regulis; à quocumque enim certo intellectus convincitur, aut convinci debet; & in hoc sensu loquuntur P. Suar. P. Gran. P. Ovied. P. Palao, P. Sanch. Verricelli, & Sapientiores ex Thomistis, nempe M. Joan. Mart. de Prado tom. 1. Quæst. Mor. cap. 1. de Consc. qu. 2. §. 3. M. Donatus, M. Araujo, & alij dicentes, quod, ut opinio sit probabilis, nil debet habere contra se convincens, seu nil certum; immo lege eundem P. Elizal. lib. 2. qu. 11. §. 4. pag. 98. dicentem, *Adversus certam, ac firmam veritatem nullum superest probabile conscientia*: ergo per eundem probabilitas non tantum tollitur per evidentiam, sed per solam etiam certitudinem.

Videbis P. Moya tom. 1. tr. 1. qu. 1. n. 4. P. Moy.

Respondeo 3. Vel loquimur de integrā N. Atheorum, Gentilium, & Hæreticorum sc. 60. cta, vel de illis tantum eorum articulis, quibus lumen naturale evidenter non resistit? Si de integrā, nulla est probabilis, non tantum respectu Catholicorum, qui Fidei Romanae certitudine gaudent, sed neque respectu eorum, qui non gaudent, quia nulla integra secta, etli Hæreticorū, quanto magis Atheorum, & Gentilium, est, quæ non contineat errores evidentes contra lumen rationis, nempe, vel Dei attributa, aut providentiam, & sanctitatem, vel animæ immortalitatem, vel hominis libertatem: ergo qualibet integra secta est evidenter falsa. Quod si sermo N. sit de aliquo particulari articulo, immo de 61. integrā secta, tunc vel sermo est comparative ad Hæreticum ignorantem, aut motiva credibilitatis Fidei Romanae non penetrantem, vel comparative ad penetrantem? Si de Hæretico penetrante, tunc nullus articulus à Fidei Romanae articulis discordans, multo minus tota secta potest respectu Hæretici nostræ Fidei motiva penetrantis apparere probabiliter verus, aut vera; quia motiva credibilitatis, quæ reddunt Fidem nostram evidenter credibilem, & certo moraliter veram, eo ipso reddunt articulos ei oppositos evidenter incredibiles, & certo moraliter falsos, & improbabiles; immo redduntur evidenter falsi juxta singularem ipsius P. 62. Elizal. sententiam, qui in lib. de formā inveniendæ veræ Religionis, præsertim qu. 19. & 20. defendit Fidem nostram esse evidentem veram, & non tantum certo moraliter veram, ut ferè omnes TT. docent cum P. Suar. d. 3. de Fide *sect. 8. n. 5.* M. Joan. à S. Thom. d. 2. art. 3. C. de Lugo d. 2. de Fide n. 40. Joan. Pontio d. 8. n. 21. Maffrio d. 6. n. 292. & nos cum illis in tr. de Fide, ubi latè impugnavimus eundem P. Eliz. qui tandem evidentiā moralem cum certitudine morali confundit; quare nescio quomodo P. Elizal. admittens nostram Fidem esse evidenter veram, armet contra nos argumentum, quod opinio Hæreticorum erit probabilis, cum probabilitas tollatur per evidentiam, quam sibi suadet, nobis suis argumentis esse persuasam: ergo respectu Hæretici penetrantis motiva Fidei Rom. nullus articulus nostris contrarius, & multo minus tota secta, non tantum non potest esse probabilis, quin est certo improbabilis respectu ejusdem Hæretici, cum sit certa falsitas, ut loquitur Caram. in Apolog. n. 165. omnisque articulus nostris contrarius, est juxta communem TT. certo moraliter falsus, immo evidenter falsus

P. Suar.
P. Gran.
P. Ovied.
P. Palao.
P. Sanch.
Verric.
M.
Mart.
M. Do-
nat.
M. Ara-
ujo.
P. Eliz.

P. Suar.
Joan.
à S. Th.
C. de
Lugo.
Pontio.
Maffr.

Caram.

P. Eliz. sus juxta P. Elizal. sententiam, quod nostri articuli sint evidenter veri. Nam, ut recte P. Card. tom. 4. diff. 14. n. 79. longè alia est probabilitas Catholicorum, ac Hæreticorum; ea enim, ut dicam, includit ignorantiam invincibilem, quatenus post diuturnum examen, necdum potuere Catholici inter se disputantes invenire veritatem, quatenus ea veritas semper manet incerta, ut dixi hic *sect. 1. §. 3.* contra P. Thyrsium: Hæreticorum autem probabilitas est spuria, & includit ignorantiam vincibilem; possunt enim ad veritatem pervenire, si volunt. Quare, me ju-
dice, adamussim quadrat Hæreticis, quod dixit Aristoteles 7. *Ethicorum cap. 3.* sæpe evenire, ut homines tenacius, & firmius adhaereant falsis rumoribus, quam viri sapientes scientijs, & certissimis veritatibus.

N. Si autem sermo sit de Hæretico adèò bardo, & rudi, ut nostræ Fidei motiva non penetret, aut de Atheo, & Gentili non cognoscente evidentiam rationum, quibus eorum æquivoca dissolvuntur, tunc dico talem sectam, vel articulum nostris oppositum esse potius errorem invincibilem respectu eorum, quam opinionem probabilem. Ratio est; quia ea secta, & articulus habet ad summum fundamentum grave relativè ad Hæreticum tantà ignorantia invincibili laborantem, non autem grave relativè ad fundamenta nostræ Fidei illi incognita: sed ad probabilitatem opinionis, ut dixi *sect. 1. §. 2.* necesse est, ut fundamentum sit grave etiam relativè ad fundamenta partis oppositæ: ergo talis incapax Gentilis, & Hæreticus habet potius errorem invincibilem, de veritate suæ sectæ, quam opinionem probabilem de illâ. Breviter: Gentilis, vel Hæreticus ignorans fundamenta veræ Religionis, numquam habet opinionem probabilem de suis articulis falsis, multò minus de integrâ suâ sectâ, sed semper habet errorem, vel vincibilem, vel invincibilem, si potens dubitare de suâ sectâ, non indagat ulterius veritatem; vel invincibilem, si nullam habet rationem dubitandi de suâ sectâ. Ita
S. Thom. 2. 2. *qu. 10. art. 2.* M. Victoria de Indis *conclaf. 1.* P. Faber, P. Moya tom. 2. *tr. 1. qu. 5. a. n. 24.* & alij apud illum, quibus addo C. Aguir tom. 1. in S. Anst. d. 5. a. n. 46. P. G. Hurt. C. *qu. 4. §. 8.* de Fide, diff. 12. P. Ovied. 1. 2. *tr. 6. contr. 6. pu. 4.* P. Palao tom. 1. *tr. 1. d. 2. pu. 1. n. 2.* Herinx tom. 3. d. 7. n. 69. qui, & alij adeo certum putant dari ignorantiam invincibilem circa Fidei, credenda saltem de præcepto, ut de opposito P. Vafq. nemo dubitare possit. Idem sentiunt P. Vafq. M. Mar. 1. 2. d. 121. M. Joan. Mart. de Prado tom. 1. Theol. Mor. *cap. 2. qu. 12. n. 14.* & Filgu. in Lucernâ, in *expos. quarta*, sub initium. Immo
Tom. I.

hæc opinio hodie videtur, infallibilis post 68. damnatam Baij propositionem, in qua asserbat, *Infidelitas purè negativa, in his, quibus Christus non est predicatus, peccatum est:* ergo ejus contradictoria est vera, talis infidelitas non est peccatum; cur autem, nisi quia ea est invincibilis? Ratio est; quia opinio, quæ habet cōtra se certitudinem, non potest esse probabilis, immò est improbabilis: sed opinio affirmans aliquid contra Fidem, habet contra se principium certum, nempe Fidem Romanam: ergo quantacūque gloriatur autoritate, non potest dici probabilis, immò est improbabilis, eritque error vincibilis, vel invincibilis. De hoc argumento sapius occurret sermo; interim legi possunt Expōsitores damnatæ ab Innocentio, *Infidelis excusatur ductus opinione probabili*, præcipuè P. Moya l. c. & P. de la Fuente diff. 5. per totam.

N. In formâ nego opinionem Hæreticorum, Atheorum, & Gentilium, contradictoriam articulis Fidei, esse probabilem respectu eorum, sed ad summum erunt opiniones vincibiliter, aut invincibiliter erroneæ, quia cum per opinionem probabilem veniat, quæ habet fundamentum grave etiam relativè ad fundamenta partis oppositæ, consequenter essentialiter dicit exclusionem fundamenti convincentis oppositum: sed omnis opinio opposita articulis Fidei habet contra se fundamentum Fidei certò, etsi non evidenter convincens oppositum: ergo nulla talis opinio potest dici probabilis, nequidem respectu suorum Authorum, sed ad summum respectu eorum dici poterit opinio erronea vincibiliter, vel invincibiliter. Hanc ipsam doctrinam insinuat P. Eliz. adeoque miror quomodo contra nos produxerit allatum argumentum. ecce ejus verba lib. 2. q. 11. §. 4. pag. 98. Contra res Fidei, quippe quæ certissimè constât, nihil est probabile saltem conscientie Hæretici contra Fidem nullum habent probabile, ob quod à peccato excusari queant; aliud enim est, an ab ignorantia invincibili excusentur, quod controversum est; aliud, an excusentur per probabile, quod hæreticum planè, erroneum saltem foret; & subdit immediatè, adversus certam, & firmam veritatem, nullum superesse probabile conscientie; rursus certò ac indubitanter falsa non esse probabilia probabilitate conscientie. Hæc P. Elizal. ex quo colligere poterat, quàm inane sit argumentum, suppositâ nostrâ, & ejus doctrinâ.

Secundum est: Conceptus probabilitatis à nobis traditus coincidit cum eo, quem dabant Academici, efficaciter refutati à S. Augustino, lib. 3. contra Academicos *cap. 16.* nam
K ij nos

nos etiam exponimus probabile per verosimile, & omne, quod apparet verosimile, dicimus probabile; quod ipsum dicebant Academici. Hæc Baron. *d. 2. sect. 4. n. 3. §. 3.* apud P. Card. *tom. 1. d. 15. à n. 403.* quo argumento obsecratur prolixitate utitur etiam Cellad. *lib. 1. qu. 16. per totam.*

Respondet nostram doctrinam toto Cælo distare à doctrinâ Academicorum, nisi velimus dicere doctrinam D. Thom. explicantis probabile per verosimile, quod & nos facimus; non autem asserentis omne verosimile esse probabile, quod & nos negamus, esse doctrinam Academicorum. Tria docebant Academici, ut colligitur ex S. August. *l. c.* & ex Gaslendo viro disertissimo, & Peripateticæ doctrinæ hoste infensissimo *lib. 4. contra Arist. exercitatione 6. contra quem ostendimus non omnia esse dubia, nec talia, quibus præstari non debeat assensus.* Tria, inquam, docebant; primum, quod de nulla re possumus habere iudicium certum; secundum consequens ad illud, quod sapiens, nè se exponat errori, nihil debet affirmare, vel negare, siquidem omne ejus iudicium est incertum; tertium, quod dum quis operari tenetur, operari debet, quod sibi videtur probabile; hoc enim necessario sequitur ex primo errore. Ecce verba S. August. *lib. 3. cap. 10. Duo sunt, quæ ab Academicis dicuntur, contra quæ, ut valemus, venire constituimus; nihil posse percipi, nulli rei debere assentiri: & cap. 14. ait. si igitur nec certi est quidquam, nec opinari sapientis est, nihil umquam sapiens approbabit.* In quibus verbis manifestantur primus, & secundus Academicorum error; tertius autem adducitur à S. August. *cap. 16. Turpe est errare, & ideo nulli rei consentire debemus, sed tamen, cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.* Ecce probabilitas Academicorum rejecta à S. August. & à nobis, quæ sine dubio chimærica est, nam ex unâ parte volunt, intellectum nullum habere posse iudicium certum, immò nec probabile, nam sapiens nil debet judicare; ex alterâ volunt, quod objectum possit judicari probabile: ergo chimæra. Similiter probabilitas Academicorum supponit nullius rei nos habere posse certitudinem, multò minus evidentiam; utrumque autem est evidenter falsum, ut latè ostendi contra Gaslendum in *Logicâ*: ergo de quo habemus evidentiam, vel certitudinem, de ejus opposito non habemus probabilitatem: ergo non omnia sunt probabilia. Igitur quantum distat negans omnem probabilitatem, tam objectivam, quam formalem, (utramque

enim negabant Academici) objectivam, quia docebant nullam solidam veri apparentiam dari; formalem, quia negatâ omni gravi probabilitate, nullum potest intellectus formare prudens iudicium; quantum, inquam, distat negans utramque probabilitatem ab affirmante utramque, (nos autem utramque affirmamus, nam plura habent grave verosimilitudinis motivum, & pluribus probabiliter assentimur) tantum nos distamus ab Academicis. Secundo, quantum distat affirmans omnia esse incerta, ut Academici, à negante omnia esse incerta, ut nos, qui asserimus plura esse certa, & evidentia, tantum distamus ab Academicis. Tertio, quantum distat affirmans esse probabile id, cuius oppositum est evidens, ut Academici, à negante esse probabile id, cuius oppositum est certum, aut evidens, tantum nos ab Academicis. Quarto, quantum distat affirmans omnem veri apparentiam esse probabilitatem, ut Academici, à negante omnem veri apparentiam esse probabilitatem, ut nos, sed illam tantum veri apparentiam esse probabilitatem, quæ est gravis etiam comparata cum motivis partis oppositæ, nullamque esse probabilitatem, si contra eam stet principium certum; tantum nos ab Academicis, qui non distinguebant inter vincibilem, & invincibilem veri apparentiam, nec erant solliciti, an illa apparentia proveniret à seriâ veritatis indagatione, atque ad eam omne apparens verum, sive ex gravi, sive ex levi fundamento, vocabant probabile; quod sine dubio, ut bene P. Teril. de *Reg. P. Teril. morum qu. 5.* erat probabile, temerarium, & P. Card. stultum. De hoc lege P. Card. *tom. 1. d. 15. à n. 403.* & P. Teril. *l. c.* qui merito dicit monstruosissimam esse comparisonem benignæ sententiæ cum sententiâ Academicorum, qui nullum certò honestum affirmabant, immò omne opus per illos erat peccatum, quia sequebatur ad iudicium semper dubium de honestate.

Dices: S. August. *lib. 3. contra Academ. N. cap. 16.* rejicit hanc Academicorum propositionem, *Cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat*: ergo peccat, & errat. Respondet, verum esse, qui sequitur probabile Academicorum, peccare, & errare, quia excludit omne iudicium de honestate operis, seu de non peccato; nostrum autem includit. Aliter M. Joan. Mart. de Prado *tom. 1. Theol. Mor. cap. 1. de Conf. qu. 2. n. 18.*